

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Dux Ernestus cuidam episcopo S.D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

uit. Quod de meis uersibus scribis, ipse agnosce^{co}
me non satis propitijs musis uersus cudere. Sed ta
men quia hæc exercitatio ad absolutam orationē
prodest, in ea interdum experior ingenium: et
tua reprehensio reddet me diligentiore. Habet
aliquam laudem conatus honestus, ut ille ait: *et*

In magnis uoluisse sat est, si non datur ultra.)
Noui nihil habemus, præter literas Pontificis de
synodo, quas haud dubie uidisti. Cæterum de Cæsa
rianis rebus omnibus hic magnum silentium est.
Tu si quid habes, nobis uelim impertias. Patris
gratulor coniugium, et opto ut felix et faustum
sit. Matrem, fratrem et sorores, omnes meis uer
bis saluta. Scriberem prolixius, nisi nuncijs inter
pellaret. Vale. Bene et feliciter uale et responde.

Dux Ernestus cuidam Episcopo
S. D.

Reuerendissime atq; ornatissime Princeps, pe
tuit à nobis commendationem ad Reuerendissi
mam paternitatem uestram, quidam nobilis adole
scens, scholasticus huius Academiæ, Petrus de Neu
marck. Cum autem non dubitemus, quin R. P. V.
sua sponte et faucat ingenijs, et prouehere stu
diosos ad Reipub. utilitatem cupiat, libenter de
dimus huic iuueni literas, et ut haberet apud
R. P. V. testimonium morum et studiorum
suorum: et ut rogaemus R. P. V. propter nostrā

K 2 commens.

in eo genere

inquit pro ait et
holl in t. m.

d. d. 10 Jan. 1533

commendationem maiori beneuolentia hunc inuenem complecti uelit. qui cum sit ex ditione Naubergensis episcopatus, existimauit se necessario suo tempore opem & auxilium à R. P. V. tanquã à principe suo, petere posse. Vixit hic triennium singulari modestiã fama: & in his communibus literis, quæ primæ ætati traduntur, profecit mediocriter, & nunc se ad Iuris studium conuulit. Hæc studia nullo in odio sunt, & ad humanitatem & tranquillitatem Reipublicæ profunt, ut optimè R. P. V. iudicare potest. Nec etiam dubitamus, quin R. P. V. ad principis munus pertinere arbitretur curam tuendi atq; ornandi bonas & honestas artes, ac utiles Reipub. Commendamus itaq; R. P. V. hunc Petrum de Neumarch: & rogamus, ut R. P. V. conferat ei aliquod sacerdotium, unde studiorum sumptus tolerare possit. Reuerenda P. V. scit, hoc liberalitatis genus esse honestissimum, & hæc eleemosynam Deo gratam, et Reipub. utilem esse, iuuare studiosos honestarum artium, qui quidem pulcherrimum ornamentum sunt Christianæ religionis. In his causis speramus commendationem, præsertim à nobis profectam, plurimum ualiturã esse. Neq; enim hic recensere attinet, quæ necessitudo & coniunctio inter nos sit sanguinis. Tantiã illud dicemus, cum fuerit amicitia clarissimis maioribus nostris, cum R. P. V. ac singulare & honorificum

rificum iudicium de uirtute R.P.V. nos quoq; studia omnia et officia nostra ad R.P.V. deserimus. Quare ut propter nos aliquid ad benevolentiam erga hunc Petrum addat R.P.V. etiam atq; etiam rogamus. Bene ualeat R.P.V.

Amico cuidam N.N.

S. Utinam amicitia tua frui possem, mi amice. Animaduerti enim, ad ceteras animi pulcherrimas dotes, & ad doctrinam egregiam, te addidisse summam humanitatem. Quid autem fingi aut perspectius aut amabilius hac coniunctione & societate potest? Quare uelim tibi persuadeas, te à me ualde amari, & fieri plurimi. Hunc animum si possem aliquo officio declarare, profectò efficerem, ut exiguum & studium & amorem erga te meum cognosceres. Mihi quoq; persuasi, me tibi charissimum esse. Quare te rogo, ut amicitie nostrae memoriam conserues, ubiq; gentium eris. Fortassis & literæ meæ, si erunt tempora nobis æquiora, testabuntur, me præclare de tua uirtute sensitse. Scripsit ad me tuus Hieronymus Papiensis, de itinere Italico. hunc ut comitem adiungas, etiam atq; etiam rogo. Scis illud Cyri apud Xenophontem: Cum bonis uiris esse navigationem tutiorem. Ita & ille te expetit comitem, & fausti ominis ducem: tu quoque talis uiri eximia probitate, fæ-

K 3 de, pu-